

quod ab omnibus conceditur. E. ad æternitatem. Et quomodo quæso vita æternitatis esse formale ingrediatur? quippe quæ in eo absolvitur, quod sit duratio principio & fine carens, sive id, cui competit æternitas, vitæ sit particeps, sive expers, nihil per hoc detrimenti vel augmenti accedet æternitati, ut tali.

Th. 9. Insuper hoc etiam nomine aliquis huic definitioni dicam scribere jure potest, quod Genus & definitum non ejusdē prædicamenti per se continentur; idque non est difficile probatu, nam *possessio*, quæ vicē generis sustinet, pertinet ad prædicamentum Habere; quis autem ad idem prædicamentum a se referre æternitatem? Hæc enim formaliter est duratio quædam, quæ, cum sit è numero transcendentium, certis alicujus Categoriæ Cancellis circumscribi seu includi nescit. Minus recte igitur Æternitas, ut species, possessioni, tanquam generi, subjicitur.

Th. 10. Obiter circa Svarezii expositionem animadvertimus, eum humani quid passum, dum in voce INTERMINABILITATIS independentiam includi autumat, cum vocis hujus nativa significatio nihil præter negationem terminorum exprimat, nullatenus verò quandam independentiam, quod quidem Vir ille aliàs inter Scholasticos non infimi subsellii nobis sed sine fundamento obtrudere conatur. Alia Scholasticorum circa hanc definitionem paradoxa studio prætermittimus, quæ, num ad mētē primi ejus Autoris rectè adhibeatur & explicetur (definitionem enim hanc suam originem Platoni debere, à quo eam non ad æternitatis in abstracto, sed in concreto, Entis nim: æterni naturam exprimendam, adhibitam & fabricatam esse Gassendus observat) non adeò solliciti sumus.

Th. 11. Misâ. E. morbida hæc Scholasticorum æternitatis definitione, properante pede nos ad meliorem substituendam, accingimus. Quemadmodum autem in explicanda alicujus rei natura ad duos conceptus cum primis respiciendum est, communem scilicet, seu eum, in quo res illa cum aliis convenitur, ante omnia in verum Æternitatis genus inquirere nostrum fore arbitramur, nullum autem ei convenientius accommodari posse censemus, quàm si dicatur: DURATIO, à cujus conceptu cum ævo & tempore æqualiter participat. Dari Durationem,

nem,